

CASUS

DE PROMISSIONE ET DONATIONE

SEU

De promissione; de donatione inter vivos; de donatione conditionata; de revocatione donationis; de donatione mortis causa; de donatione parentum.

CASUS I.

PROMISSIO 1°.

1° ANTONIUS promittit PETRO amico suo, se illi centum nummos datum fore. Postea vero, mutata sententia, promissis stare recusat. PETRUS autem pluries in mentem ANTONII promissum revocat, sed frustra surdo canit. Quamobrem pecuniam hanc clam ab amico surripit.

2° MARCELLUS APOLLONIE 300 aureos promisit in dotem, modo ALBERTO nubere vellet. Anceps hæret aliquandiu puella. Pater ejus donum pro ea libenter acceptat. Verum MARCELLUS, mutata mente, promittit se hanc pecuniam erogaturum esse partim nosocomio, partim pauperibus, partim puero quinquenni cognato suo. Ast iterum mutat consilium, et integram summam sibi servat.

3° VICTORINUS, Sacerdos, variis amicis promittit, præter specialem memoriam in quotidianis precibus, ad aram præsertim Sacrum pro illis se applicaturum; non raro tamen in servandis promissis incuriosus est.

HINC :

QUÆR. 1° *Quomodo obliget promissio, saltem acceptata?*

2° *Quænam acceptatio requiratur, vel sufficiat?*

3° *An, vel quomodo peccaverint præfati promissores?*

SOLUTIO :

797. — *R. ad 1^m Quæ.* Obligatio promissionis *probabiliter* non urget, nisi sub levi et ex sola fidelitate, quia contractus gratuitus obligat tantum *per se* sub vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur urgere sub gravi, nisi promittens veram obligationem justitiæ suscipere velit, in quo casu obligabitur sub gravi in materia gravi. Sæpius promissiones simplices, ut communiter fiunt, nec ex fidelitate quidem urgent, quia in animo promittentis non est fidem suam obligare; merum igitur propositum enuntiant. *V. Comp. n. 798.*

798. — *R. ad 2^m Quæ.* Requiritur ad promissionis obligationem, ut vere a promissario acceptata fuerit; quia nemo censetur velle se erga alium obligare, nisi iste acceptet. Potest autem aliquis per alium acceptare, v. g. per mandatarium, quia mandans et mandatarius unam personam moralem constituere censentur. Potest etiam promissarius acceptare per alium, qui ejus curam gerit, vel censetur unam personam

moralem cum eo efficere, v. g. filius per patrem, pupillus per tutorem, uxor per maritum et vice versa, Ecclesia per Prælatum, monasterium per Superiorem, etc...

799. — *R. ad 3^m Quæ.* 1° ANTONIUS peccavit venialiter contra fidelitatem tantum, si promissio vera et non merum propositum fuerit. Sed peccavit graviter PETRUS contra justitiam, pecuniam hanc surripiendo, quia caret jure in re ipsa; siquidem promissio vera, etiam ex intentione se obligandi ex justitia, non dat nisi *jus ad rem*, seu non dat nisi actionem in personam promissoris, ubi lex contractum promissionis agnoscit. Insuper, nescit PETRUS cum ANTONIUS voluerit se vere obligare necne.

2° MARCELLUS minime peccavit, pecuniam APOLLONIE promissam denequando; quia, cum ageretur de contractu oneroso, pater ejus pro ea minime acceptare potuit. Neque peccavit secunda vice, intentionem suam revocando, quia nulla acceptatio promissionum subsequuta fuerat.

3° VICTORINUS ad summum venialiter peccaret, si strictam promissionem fecisset; sed plerumque promissiones hujusmodi non sunt aliud nisi propositi manifestatio, non vero strictæ promissiones. Adde quod plerumque debita acceptatio deficit.

CASUS II.

PROMISSIO 2°.

1° GORGONIA, vetula, promittit LUCINÆ, contubernali et amicæ suæ, se ei daturam esse modicam, quam habebat, pecuniam, ut post mortem suam partim in proprios usus, partim in opera pia et præsertim in Missas eam impendat. Postulat hæc enixe, ut velit igitur testamentum in ipsius favorem condere ad tricas vitandas; promittit illa, sed, cum aliquandiu distulisset, morbo gravi correpta, sensibusque statim destituta, intestata moritur. LUCINA vero pecuniam sibi notam subducere festinat, dimidiam ejus partem in opera pia impendere intendens. Sed postea anxia quærit a Confessario an potuerit pecuniam hanc sibi arrogare: 1° ex titulo promissionis, 2° quia amicæ diu infirmæ curam habuit; 3° quia solus hæres naturalis TITIUS, frater defunctæ, est impius, et proinde Missas pro sororis anima celebrari non curabit.

2° NICASIUS, Sacerdos, BLANDINÆ, ancillæ, se aliquid daturum ad gratum animum ostendendum promittit. Alias de centum vel bis centum francis ipsi erogandis sermonem habet. Sed ecce! morte repentina ille corripitur. BLANDINA autem, promissionis memor, festinanter ad cistam advolat et 200 fr. accipit. Sed postea ab hæredibus, rem nonnihil suspicantibus, ad judicem probabiliter traducenda, quærit a Confessario an jurare possit se nihil accepisse?

HINC :

QUÆR. 1° *An LUCINA potuerit præfatam pecuniam accipere et servare ob rationes ab ipsa allatas?*

2° *An BLANDINA pecuniam a domino promissam accipere potuerit, et jurare se nihil accepisse?*

Solutio :

800. — *R. ad 1^m Quæst.* LUCINA præfatam pecuniam accipere et servare non potuit, saltem **ratione** promissionis. Ratio est : 1^o quia non videtur intervenisse promissio **proprie** dicta, sed quædam vaga futuræ intentionis manifestatio, quæ mero **proposito** æquivalet ; 2^o quia promissio jus accipiendi minime tribuit, **cum** jus *in re* non constituat, juxta dicta in solutione casus præcedentis. **Dixi saltem ratione promissionis**, quia, si LUCINA curam mulieris infirmæ **non** suscepisset, nisi ex eo quod præfata promissio ei facta fuerit, jus ad **mercedem** sane haberet, et *pro rata* temporis et officiorum GORGONÆ præstitorum, pecuniæ partem vel etiam totam retinere posset. Quod autem attinet ad Missas pro defuncta procurandas, generatim non valet allata ratio ; quia pecunia relicta jam non est GORGONÆ, utpote mortuæ, sed ad ejus hæredem pertinet. Attamen minime damnanda foret LUCINA, si exiguam pecuniam pro Sacris ad intentionem defunctæ faciendis impenderet, si verum sit, **fratrem** impium aut incuriosum nulla vel paucissima pro sororis anima procuraturum esse ; tunc enim voluntas moribundæ certo præsumenda foret.

801. — *R. ad 2^m Quæst.* Quid de BLANDINA ? Nulla ratione ei indulgere licet ; furtum enim **patravit**, et proinde ad restitutionem tenetur, nedum jurare possit se nihil **accepisse**. Etenim non constat de promissione proprie dicta a NICASIO facta ; imo evidenter non fuit nisi propositum vagum et indeterminatum, **cum** nequidem certam summam affecerit. Insuper, etiam concessa promissione vera et determinata, BLANDINA non potuisset sibi pecuniam arrogare, **cum** promissio non nisi jus ad rem et non in re tribuat. Excipe, si herus ancillæ auctarium stipendii certo promisisset, quod in casu non reperitur. *V. Comp. n. 797. — Gousset, n. 798.*

CASUS III.

DONATIO INTER VIVOS.

1^o BENNO, jamjam **moriturus**, MARGARITÆ, uxori suæ mille nummos donare statuit, tum ut ejus curas et egregia officia in se collata rependat, tum ne a filio suo unico **minus** reverenter tractetur et etiam posthabeatur. Rogat igitur illam, ut præfatam pecuniam in arca positam statim accipiat. Acceptat quidem uxor ; sed magis sublevando viro quam proprio commodo intendens, donum sibi erogatum, nisi post donatoris mortem, non accipit.

2^o BLASIUS ODILLÆ, nepti suæ absenti, mille aureos per nuntium mittit. Sed moritur ODILLA antequam nuntius ad eam pervenerit. Donum petunt ejus filii, sed dubitat **nuntius** utrum sit eis tribuendum.

3^o AGOARDUS 200 nummos ad DRUSILLAM, consanguineam, per TITUM mittit. Sed nuntius hos sibi injuste retinet. Re autem post donatoris mortem detecta, hanc **pecuniam** reclamant tum AGOARDI hæredes, tum DRUSILLA, donataria.

HINC :

QUÆR. 1^o *An sit valida donatio in primo casu? An uxor pecuniam potuerit accipere post mariti mortem? et an filius donationem impugnare posset?*

2^o *An donatio cedat in favorem hæredum ODILLÆ, in secundo casu? vel donatori reddi debeat?*

3^o *An, in tertio casu, pecunia reddi debeat DRUSILLÆ vel AGOARDI hæredibus?*

Solutio :

802. — *R. ad 1^m Quæst.* Donatio facta MARGARITÆ a viro suo moribundo, validissima est ; gaudet enim omnibus conditionibus ad valorem requisitis : nam est libera, clara, determinata, acceptata, et ab homine habili ad donandum inter vivos facta ; supponitur enim filii legitimam non inde lædendam esse : ergo translatio domini pecuniæ, vivente viro, in uxorem facta est. Ergo uxor pecuniam accipere potest ad libitum, sive ante sive post mortem conjugis ; hæc enim temporis circumstantia ad casum omnino indifferens est. Ergo filius donationem impugnare non potest, cum sit donatio inter vivos omnino valida.

803. — *R. ad 2^m Quæst.* Distinguendum est. Donatio donatori reddi debet, si unice vel principaliter intenderit favere donataria, quia corrumpit motivum finale quo impulsus fuit. Debet autem pecunia hæredibus ODILLÆ tribui, si BLASIUS ipsis primario vel æqualiter intenderit benefacere, quod ex circumstantiis dirimendum est. In dubio, donator de mente sua erit interrogandus.

804. — *R. ad 3^m Quæst. Controvertitur.* Probabilius non valet donatio, quia non fuit acceptata vivente donatore, et eo mortuo ejus voluntas uniri nequit cum consensu donataria. *S. Lig. n. 729.* Attamen, si pecunia DRUSILLÆ tribuatur, *probabiliter*, juxta plures, eam servare potest, modo nuntius voluntatem defuncti manifestet. *V. Comp. n. 802-810-812.*

CASUS IV.

DONATIO CONDITIONATA.

1^o BEATRIX JULIÆ, sorori suæ, donatione inter vivos, tradidit prædium 15 millibus fr. valens, ea lege ut, dum viveret, 100 fr. solveret ad puellas pauperes educandas ; sed, BEATRICE absque testamento defuncta, ANDREAS, ejus frater, clausulam aliquam, lege prohibitam, in prædicta donatione detegens, ejus rescissionem juridice postulat obtinetque. JULIA vero, pretio recuperata dimidia parte prædii a qua evicta fuit, a Parocho urgetur ad 100 fr. donationi adnexos solvendo ; ab aliis consultis, ad partem dimidiam hujus summæ retribuendam obligatur ; ab aliis ab omni debito liberatur. Tu autem quid dicis ?

2^o QUIDONIUS, mercator, BIBIANÆ, nepti suæ matrimonium contrahenti, 3,000 fr. promiserat ; sed cum, elapsis pluribus annis, sortem notabiliter adversam expertus fuisset, et insuper marito BIBIANÆ minime contentus esset, existimat se a contracta obligatione jam solutum esse.

HINC :

QUÆR. 1° An JULIA in primo casu ad 100 vel ad 50 fr. solvendos teneatur, vel ab omni prorsus debito sit excusanda?

2° An QUIDONIUS a facta promissione liberetur?

SOLUTIO :

805. — R. ad 1^m Quærs. Quid ad casum JULIÆ? Est quidem, ut multi alii, casus factus non fictus; sed quomodo solvendus? Dico JULIAM neque ad 100 fr. singulis annis erogandos, neque ad 50 quidem teneri, sed ab omni prorsus obligatione liberandam esse. 1° Non tenetur JULIA ad 100 fr. annuatim solvendo. Quonam enim titulo, quæso, ad id obligaretur? Numquid titulo donationis a sorore factæ? Sed nullam accepit donationem *inter vivos*, cum hæc iudice irritata fuerit. Numquid titulo hæreditatis? Sed BEATRIX nullam imposuit obligationem hæredibus suis, siquidem *ab intestato* decessit. Quare ratione hæreditatis magis teneretur JULIA, quam ejus frater ANDREAS? Nonne sunt titulo pares? — 2° Neque tenetur JULIA ad 50 fr. Ratio satis liquet ex dictis. Etenim ad pium opus non adstringitur ratione neque donationis neque hæreditatis, ut dictum est. Sed neque urgeri potest ratione emptionis alterius dimidiæ partis prædii; hæc enim hypothesis præcedenti absurdior est. Ergo turpiter errarunt tum Parochus, tum alii Doctores consulti, qui JULIAM ad aliquid quotannis erogandum, ut piæ intentioni sororis satisfaceret, obligarunt.

806. — R. ad 2^m Quærs. 1° Si agatur de simplici promissione, QUIDONIUS sane ex duplici ratione allegata facile ab omni obligatione liberatur; quia, si hæc prævidisset, certe a promissione abstinisset. — 2° Si vero sermo sit de donatione *inter vivos*, multo difficilius revocari potest. Imminutio enim bonorum non est causa sufficiens ad eam rescindendam; neque valet alia ratio, scilicet quia maritus BIBIANÆ malis imbuatur moribus, nisi præterea ex ejus parte injurias atroces acceperit. V. *Comp. n.* 810, 813.

CASUS V.

REVOCATIO DONATIONIS.

1° UBALDUS, improles, tertiam bonorum partem amico suo SIDONIO, et aliam tertiam partem BALDUINO, fratris sui filio, *inter vivos* donat. Sed, anno vix elapso, ex uxore suscipit filium, qui post diem alteram mortuus est. Eodem tempore injuria valde gravi a BALDUINO afficitur. His ductus rationibus utramque donationem revocat.

2° REMIGIUS, cælebs, bona sua omnia nepoti suo ALBERTO donavit, vitalitio censu sibi reservato. In ipso autem donationis actu declaravit, se cuilibet juri donum revocandi renuntiare. Verum ALBERTUS censum annum non solvit, nisi multoties requisitus et coactus. Imo die quadam, cum donator repeteret debitum, diris conviciis gravissimisque vulneribus obrutus est. Quamobrem REMIGIUS donationis revocationem a iudice postulat; sed, antequam sententia feratur, ipse e vivis excessit. Hæredes autem doni restitutionem donatoris loco repetierunt.

HINC :

QUÆR. 1° Quandonam revocari possit donatio *inter vivos*?

2° An donatio, in primo casu, valide ab UBALDO revocata fuerit?

3° An REMIGIUS, in secundo casu, donationem revocare poterit, licet juri suo revocandi renuntiaverit?

4° An ejus hæredes, ipso mortuo, donationem repetere poterint?

SOLUTIO :

807. — R. ad 1^m Quærs. Donatio *inter vivos* revocari potest de jure communi in casibus sequentibus: 1° si donatarius donationis condiciones non adimpleat; 2° si enormiter ingratus sit, v. g. si donanti atroces injurias inferat, si inopia pressum non alat, etc.; sed ingratitude iudice probanda est; 3° si donator, prole carens, magnam partem bonorum donaverit, et postea nascatur proles, ob implicitam conditionem donationi appositam; 4° si donatio sit inofficiosa contra officium pietatis paternæ, v. g. si pater donis noceat *legitimæ* filiorum; sed tunc donatio infirmatur tantum quoad partem in qua filii fraudantur. S. *Lig. n.* 728. *Ex jure Gallico*, ob easdem rationes donatio *inter vivos* revocari potest; sed, si res fuerit tradita, aut donatio in instrumento publico consignata, non nisi per iudicis sententiam fieri potest. Superveniente autem prole legitima, donatio ipso jure revocatur, *ex art. Cod. civ.* 960. Idem dicendum de prole illegitima, per subsequens matrimonium legitima.

808. — R. ad 2^m Quærs. Valet revocatio utriusque donationis ratione prolis natæ, licet tam exiguo tempore vixerit. Ratio est, quia, ipso facto nativitate filii, donator recuperat id quod antea donaverat; proinde donatio per mortem prolis non reviviscit. *Pontas, verbo* Donation, *cas.* 9.

809. — R. ad 3^m Quærs. REMIGIUS certo donationem revocare potest, licet juri suo revocandi renuntiaverit, quia hæc renuntiatio fieri valide nequit contra legis dispositionem. Porro REMIGIUS ex duplici capite donationem suam revocare potest, scilicet, quia ALBERTUS condiciones dono affixas non adimplevit, et insuper gravissimis conviciis imo et verberibus donatorem affecit. Ergo REMIGIUS potuit valide et licite donationis revocationem a iudice requirere et obtinere.

810. — R. ad 4^m Quærs. Affirmative *ex Jure Gallico*, sed in solo casu ubi ipse prior causam agere incipit. *Art.* 957. — Non valeret revocatio donationis, si injuriæ atroces non a donatario, sed ab ejus proximis consanguineis, v. g. ab uxore aut filiis provenirent, quia privilegium donum revocandi non nisi propter injurias ipsiusmet donatarii conceditur.

CASUS VI.

DONATIO MORTIS CAUSA 1°.

PRIVATUS, ægrotans, advocat BELINAM, famulam suam, et ait: « Si morior, accipies ex arca mea capsulam centum nummis refertam. Hanc

post mortem meam tibi donatam volo. » BELINA, gaudio et lacrymis superfusa, millenas grates hero suo rependit. Verum adstabant solliciti hæredes futuri. Vix PRIVATUS animam efflaverat, cum illius bona illico obsignata fuere, et inde miseræ famulæ abstracta est via capsulam præfatam obtinendi. Reclamat, sed frustra, apud hæredes; ab eis enim repulsam patitur. Quid igitur BELINA? Occulta compensatione, data occasione, paulatim utitur.

HINC :

- QUÆR. 1° *An hæredes injuste denegaverint ancillæ pecuniam a PRIVATO promissam?*
 2° *An ancilla potuisset juste post mortem pecuniam hanc accipere, etiamsi ipsa sola donationem noverit?*
 3° *An juste ad occultam compensationem recurrerit?*
 4° *Quid, si herus ei dixisset: « Nunc hanc pecuniam tibi dono, eam nunc accipias; » et ancilla, tantum hero mortuo, acceperit, vel accipere non potuerit?*

SOLUTIO :

811. — *R. ad 1^m Quærs.* Hæredes tenentur de jure communi et naturali pecuniam famulæ erogare, si certo donationem noverint, quia donatio mortis causa est modus naturalis et legalis de jure communi dominium transferendi. Sed minime ad id obligantur, si donatio illa non argumento certo probetur, quia sunt in possessione juris sui, nec famulæ asserenti fidem adhibere tenentur. Quilibet enim posset facile dicitare, sibi hoc vel illud fuisse a defuncto donatum. Nec obstat huic decisioni Jus Gallicum. Licet enim donationes *mortis causa* non admittat, gravissimi juris interpretes, v. g. *Merlin* et *Delvincourt*, asserunt donationes manuales *mortis causa* valere, modo adsit traditio, aut derelictio (*dessaisissement*); et sic declaravit *Curia suprema*, 12 Decemb. 1815.

812. — *R. ad 2^m Quærs.* BELINA potuisset pecuniam accipere statim post mortem PRIVATI, cum certo ejus voluntatem noverit, et nulla conditio desit ab donationis hujus validitatem. Etenim donatio *mortis causa* est donatio *conditionata*, quæ per mortem donatoris fit *absoluta*. Ergo, donatore mortuo, res donata statim transit in dominium donatarii; ergo hic eam, ut suam, accipere potest. *Elbel*, n. 427.

813. — *R. ad 3^m Quærs.* BELINA se compensare potuit, quia ad donum jus certum habet, et per accidens est quod illud ab hæredibus denegari possit, scilicet, quia de ipso illis non certo constat. Compensatio enim occulta a Theologis permittitur, quando debitum est certum, et nulla alia via obtineri potest. *Elbel*, *ibid.* n. 428.

814. — *R. ad 4^m Quærs.* In hac hypothese esset donatio *inter vivos*, et ancilla pecuniam accipere potuisset, sive ante sive post heri mortem; vel etiam se compensare, si eam obtinere alio modo minime valeret. Sequitur ex dictis in casu præcedenti.

CASUS VII.

DONATIO MORTIS CAUSA 2°.

GALDINUS, improles, graviter ægrotans, mortis causa, dat hic et nunc centum aureos MONICÆ, uxori suæ, et 300 verbo, scilicet, ab ipsa post mortem suam accipiendos. Mortuo GALDINO, ultimam ejus voluntatem uxor adimplere festinat. Sed mox a PONTIO, hærede universali, ad judicem compellitur, ad præstandum juramentum quod nihil de bonis defuncti acceperit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An MONICA potuerit servare pecuniam ante vel post mariti mortem acceptam?*
 2° *An jurare possit se nihil accepisse?*

SOLUTIO :

815. — *R. ad 1^m Quærs. Affirm.* MONICA potest servare pecuniam acceptam, mortuo GALDINO, et donationem *mortis causa* ipsi a marito factam. Nec refert quod pecuniæ partem ante mortem viri acceperit, cum id eo jubente fecerit. Dominium autem pecuniæ non nisi per mortem GALDINI in MONICAM translatum est. *Recole dicta in casu præcedenti.*

816. — *R. ad 2^m Quærs. Affirm.* MONICA enim nihil accepit de bonis defuncti, sed id tantum quod suum erat. Namque, morte mariti, dominium pecuniæ donatæ ad uxorem devolvitur: ergo pecunia ad ipsam pertinet; ergo alienum non accepit. Nemo autem jus habet eam interrogandi de dispositione rei suæ. Ergo etiam juramento asserere potest se nihil accepisse ex bonis defuncti, scilicet, quod suum non fuerit. Nec dicas, donationem *mortis causa* saltem irritari Jure Gallico; nam irritatur quidem per judicis sententiam, sed probabiliter non ipso facto, ut infra dicemus de testamentis quæ aliqua forma carent. Insuper, ut dictum est supra, n. 811, donationes manuales irritari non censentur.

CASUS VIII.

DONATIO MORTIS CAUSA 3°.

PHILEMON, graviter decumbens, ANNÆ, uxori suæ, ait: « Tibi dono mille nummos quos in cista nostra reperies. Hos tibi donatos volo pro tua in me tam ingenti cura et sollicitudine. » Gratissimo animo acceptat ANNA hanc donationem. Filii vero ejus, quos ex primo toro habuerat, conati sunt patri persuadere ut donum istud revocaret, sed id minime ab eo impetrare potuerunt. Quapropter, post ejus obitum, præfatam donationem, ut sibi præjudiciosam, impugnarunt.

HINC :

- QUÆR. 1° *An hæc donatio censenda sit inter vivos, vel mortis causa?*
 2° *An ANNA possit pecuniam a viro donatam accipere et retinere, saltem ante judicis sententiam?*
 3° *An PHILEMON donationem revocare possit?*

SOLUTIO :

817. — *R. ad 1^m Quæ.* Præsumendum est hanc donationem factam esse *inter vivos* et non *mortis causa*. Ratio est, quia donatio facta ob merita præcedentia censeri debet facta *inter vivos* : donator enim præsumitur voluisse merita modo efficaciore compensare; donatio autem *inter vivos* est magis efficax. Porro donatio facta est propter merita ANNÆ : ergo... Insuper ad donationem *mortis causa* requiritur ut clare videatur fieri intuitu mortis, sive implicite sive explicite, v. g. per verba : *Tibi relinquo*; atqui in nostro casu hoc clare non apparet : ergo... In dubio enim utrum donatio fuerit *inter vivos* vel *mortis causa*, præsumi debet eam factam esse *inter vivos*, quia est modus donandi efficacior, ut dictum est. Nec refert quod facta fuerit a viro graviter decumbente, quia ad summum sequitur donationem factam esse a moriente, non vero quod facta fuerit *mortis causa*. *Elbel, n. 342.*

818. — *R. ad 2^m Quæ.* ANNA potuit, tuta conscientia, præfatam pecuniam sibi arrogare et retinere, saltem ante iudicis sententiam, nisi *legitimam* filiorum læserit, in quo casu reducenda foret pro rata excessus. Etenim, vi legitimæ donationis, dominium de uno in alium transfertur. Atqui hæc donatio fuit legitima : ergo... *Elbel, n. 345.*

819. — *R. ad 3^m Quæ.* PHILEMON revocare donationem non potuit, et proinde surdas aures, ut fecit, filiis deprecantibus præbere debuit, nisi ex parte donatio inofficiosa fuerit, seu filiorum *legitimam* læserit. Ratio est, quia hæc donatio est *inter vivos* ex dictis; atqui hujusmodi donatio libere facta et acceptata revocari nequit : ergo... Attamen ex Jure Gallico hæc donatio revocari posset, quia donationes inter conjuges sunt revocabiles ex *art. Cod. civ. 1096*. Secus esset, si de donatione *mortis causa* ageretur; quia ista donatio, sicut dispositio testamentaria, est semper ambulatoria, et usque ad ultimum halitum revocabilis. *Elbel, n. 344.*

CASUS IX.

CONDONATIO A MORIENTE FACTA.

Et ab hærede denegata.

GENNADIUS fratri suo HENRICO, mercatori, mille aureos mutuo gratuito ab biennium crediderat, quibus ab infaustissimo casu sublevaretur. Anno autem vix elapso, GENNADIUS, gravi morbo correptus, mox ad extremum vitæ periculum deducitur. HENRICUS, eum invisens, instantissime rogat ut debitum sibi remittere velit, et condonare. Cui GENNADIUS : « Ita, ait, debitum libenter condono tibi, et liberrime remitto, quia filio meo, utpote unico hæredi, satis provisum est. Cupio tamen, ut de hoc nihil quidpiam ulli mortalium dicas. » Defuncto autem GENNADIO, ecce filius ejus NESTOR reperit inter alia epistolam qua patruus, seu HENRICUS, fratri suo GENNADIO gratias agebat pro mille aureis, sibi ad biennium mutuo gratuito traditis. Hinc, elapso biennio, filius a patruo prædictam summam repetit. Obstupefactus HENRICUS renuit solvere, asserens debi-

tum ipsi fuisse a fratre suo condonatum. Verum, cum assertum probare non possit, a iudice ad solvendum condemnatur.

HINC :

QUÆR. 1^o An HENRICUS debitum solvere teneatur, sive ante, sive post iudicis sententiam?

2^o An, facta solutione ex iudicis sententia, ad occultam compensationem recurrere potuerit?

SOLUTIO :

820. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o HENRICUS non fuit obligatus ad debitum in conscientia solvendum, ante iudicis sententiam. Ratio perspicua est. Etenim, cum GENNADIUS ei debitum remiserit, et liberrime condonaverit, reipsa non est amplius debitor, et hoc ipso nihil amplius ex justitia restituere tenetur. Nec obstat quod nullo titulo condonationem probare valeat; defectus enim tituli externi jus acquisitum non destruit.

2^o Lata iudicis sententia, HENRICUS tenetur *per accidens* ad debitum solvendum, quia, cum jus suum probare nequeat, tenetur se conformare sententiæ iudicis *formaliter justæ*, licet sit *materialiter injusta*, scilicet ratione obedientiæ, et ne aliis, qui condonationem ignorant, scandalum præbeat. *Elbel, n. 443.*

821. — *R. ad 2^m Quæ. Affirm.* Ratio jam satis liquet ex dictis. Etenim HENRICUS non erat amplius debitor GENNADIO coram Deo, siquidem debiti remissionem obtinuerat. Ergo sententia iudicis fuit saltem *materialiter injusta*, et nulla, utpote fundata in falsa præsumptione facti particularis, scilicet debiti contracti, et nondum soluti, vel non remissi; atqui, ubi sententia iudicis est saltem *materialiter injusta*, ibi non datur obligatio parendi in conscientia : ergo HENRICUS injuste coactus fuit ad debitum solvendum; ergo quod injuste solvit coactus, repetere potest. NESTOR revera accepit id quod suum non erat, seu ad quod nullum jus habebat. Ergo ejus patruus nullam injuriam ei inferret, si pecuniam, quam injuste et invitatus solvit, tacite repeteret. Imo, si constaret filio de gratuita remissione a patre suo facta, ipse sponte acceptos mille aureos patruo refundere deberet. *Elbel, n. 444. — Reiffenstuel, etc.*

CASUS X.

DONATIO PARENTUM.

1^o DRUSUS, tribus gaudens filiis, BENJAMINO præ aliis dilecto, præter quartam partem bonorum in testamento legatam, munera de manu ad manum notabilia, pecunia, chirographis, vel etiam sub ficto contractu mutui aut venditionis, erogat; quia, ait, dum vivit, dominus est bonorum suorum quæ industria et labore acquisivit. Nec putat in hoc peccare, quia aliis filiis bona sufficientia, quibus honeste vivant, relicturus est.

2^o AUGUSTUS duos habet filios, unum, scilicet, egregiis dotibus conspicuum, alterum vero asperum, bibulum et prodigum. Præter tertiam partem bonorum, quam priori tribuit ipso testamento, eidem notabilia munera